

vere semper inundatis, adeo gracilis facta, ut *Agrostidem* referat. *Andromeda polifolia* foliis subteretibus convolutis, in paludibus profundissimis, nec non *Ledum palustre* α . leguntur.

Saxifraga nivalis β . *tenuior* (Wg. Fl. L.) locis aqua nivali inundatis, interdum *Androsacæ septemtrionali* similima; *Primulæ farinosæ* β . analogæ, quæ eandem ob causam, (aquam) gracilior et glabrata evadit. *Rubus saxatilis* β . *castoreus* *f*), *Serratula alpina*, var. foliis lineari lanceolatis, subintegris, in uliginosis *g*). *Gnaphalium dioicum*, var. *alpicola*, (Hartm. Fl. Scand.) *h*); in paludibus uliginosis.

furcatæ; rachis pedicellique læves. *Agrost. alpinae* primo obtutu similis.

- f*) Pedunculis elongatis folia superantibus; floribus binis, ternisve; petalis oblongis duplo, quam in *Rubo saxatili* α . majoribus, dilute roseis; flagellis reptantibus: Bacca hemisphærica, aromatica; acinis 5—7, quam in *Rubo arctico* majoribus. Lapponibus Lulensibus; *Vadnem muorje*, i. e. Bacca castorea. Hab. ad ripas torrentium Lapponiæ Tornensis, Juckasjerfvi ad molendinam, quo aqua ripas inundat initio æstatis; Karesuando ad Karavuopio loco uliginoso; ubi cum *Rubo saxatili* evidentius confluit; et Peurajaur Lapponiæ Lulensis. Valde memorabilis videtur, at ob locum aquosum, istiusmodi formam gracilem accepisse videtur.
- g*) Vulgo folia late lanceolata, sinuato-dentata, et radicalia etiam late cordata sunt.
- h*) Gracile, pauciflorum (flor. communiter ternis); pedunculis elongatis.